

quatur, sequi dari hoc præceptum in eo casu, non solum si peccatum mortale intercedat, sed etiam sine illo, hoc solum, quod ægrotus vult iterum consequi gratiam poenitentiae. Quod ita declaro: si prima gratia sacramenti poenitentiae datur per votum Eucharistiae, ergo quoties datur sacramentalis gratia poenitentiae, datur ex eodem voto Eucharistiae; patet consequentia, tum quia dicitur Eucharistia esse causa universalis omnium effectuum sacramentorum; tum etiam quia omnis gratia, quæ per sacramentum poenitentiae confertur, de se est remissiva mortalis culpæ; sic enim salvatur veritas formæ, et per accidens est, quod in hoc subjecto non reperitur peccatum mortale, et ideo illa gratia non sit prima, neque actu tollat maculam peccati; ergo semper illa gratia includit ordinem ad Eucharistiam et votum ejus; ergo quotiescumque quis confitetur, tenetur habere votum Eucharistiae saltem implicite; ergo et tenetur tunc non habere expressum propositum contrarium, et postea implere in re ipsa susceptionem Eucharistiae, si potest. Est ergo ficta et gratis asserta tota hæc necessitas.

9. *Responsio ad argumenta contraria.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quod attinet ad locum Joan. 6, etsi concedamus omnia, quæ ibi assumuntur, nihil efficitur, quia verbum illud: *Non habebitis vitam in vobis*, non significat necessitatem hujus sacramenti ad obtinendam primam gratiam; sed ad summum, ad retinendam et conservandam; recte enim exponitur, *non habebitis vitam*, id est, non retinebitis, nec conservabitis vitam; ut 1 Joan. 3, dicitur: *Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*, id est, perdet illam. Quomodo vero sit necessaria Eucharistia ad conservandam gratiam, et quid veritatis habeant reliqua, quæ in illo fundamento dicuntur, dicemus sect. sequenti, ubi D. Thom. testimonia etiam explicabimus. Ad confirmationem jam ostensum est, male ibi citari et exponi Concilium Florentinum, cujus verum sensum jam aperuimus.

#### SECTIO II.

An hoc sacramentum necessarium medium sit ad perseverandum in gratia usque ad gloriæ consecutionem.

4. Hæretici quidam dixerunt, realem susceptionem Eucharistiae esse omnibus hominibus necessarium medium ad salutem. In

quo errore versati sunt Armeni, qui propterea simul cum baptismo Eucharistiam parvulis dabant, ut ex Guid. Carmel. refert Waldens., tom. 2 de Sacram., c. 91. Eundem errorem tribuit Græcis, Jacobitis et Nestorianis Præteol., lib. 8, c. 15; lib. 9, c. 2; lib. 12, c. 4; et ex hoc errore videtur profectus abusus eorum, qui vel post mortem dabant Eucharistiam hominibus jam defunctis, ut colligitur ex VI Synodo, can. 83 Trullan., et in Concil. Antisiod., c. 12, et Concil. Carth. III, c. 6, quibus locis hic abusus damnatur. Ex Catholicis vero quidam dixerunt, Eucharistiam esse medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad mortem, non quidem in re susceptam, sed in re vel in voto, et putatur esse sententia D. Thom. hic, et infra, q. 79, art. 1, ad 1, et quæst. 80, art. 11, ad 1, quibus locis generatim de parvulis et adultis loquitur. Et in hanc sententiam videtur inclinare Pet. Soto, lect. 9 de Eucharistia, dicens, non secus esse necessariam Eucharistiam ad vitam spiritualem, quam cibum ad corporalem; idem significant Claudius, repet. 6, c. 7; Spenceus, lib. 2 de Adorat. Eucharist., c. 12; Roffensis, lib. 5 contra OEcclampadium, in præcæmio; Jacobus Nachan., tract. de Comm., theorem. 1. Sed hi auctores, si attente legantur, fere omnes loquuntur de necessitate præcepti; et votum suscipiendi Eucharistiam non aliter requirunt, quam propositum servandi omnia præcepta. Citantur etiam Hosius, Soto, Ledesma, et alii, non tamen fideliter.

2. Fundamentum harum sententiarum sumitur ex citatis verbis Joan. 6, quæ, ut ostendimus, necessitatem mediæ indicant ad spiritualem vitam, non inchoandam, ut diximus; ergo saltem conservandam. Hic enim effectus ibi huic sacramento tribuitur, tanquam propriæ et unicæ causæ illius, ut ex illis etiam verbis patet: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, ipse vivet propter me*. Ubi significatur, sicut Pater est unicum et necessarium principium Filii, ita unicum principium seu medium ad spiritualem vitam conservandam, esse hoc sacramentum. Unde Cyrill., lib. 10 in Joan., c. 13, de hoc sacramento loquens, inquit: *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus et conjungeretur*; ubi significat hoc sacramentum esse necessarium ad vitam æternam comparandam, quod aperte docet etiam Basilius

in Moralibus, Reg. 21, ita intelligens locum Joan. 6, et August., epist. 121 ad Probam, c. 11, et alii, quos referemus latius infra agentes de effectu hujus sacramenti.

3. *Primum argumentum.* — Secundo argumentor ratione, quia sicut remissio peccati et prima gratia est res necessaria ad salutem, ita etiam perseverantia in gratia, seu gratia finalis; ergo sicut ad dandam vel reparandam primam gratiam instituta sunt sacramenta baptismi et poenitentiae, ita ad dandam perseverantiam, seu gratiam finalem institui debuit aliud sacramentum, quod non potest esse aliud, nisi Eucharistia; quæ sicut nobilissimum est sacramentum, ita propter effectum perfectissimum institui debuit; est ergo ad hunc effectum necessaria. Tertio argumentor ex metaphora cibi; ut enim dixit Concil. Florent., hoc sacramentum proportionem servata præstat animæ omnia illa, quæ cibus corporalis tribuit corpori; ideo enim sub forma cibi institutum est; sicut ergo corporalis cibus ad corporis conservationem et præservationem a morbo necessarius est, ita hoc sacramentum est simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia usque ad finem.

4. *Prima conclusio.* — In hac re dicendum est primo, realem susceptionem hujus sacramenti non esse medium simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia, vel obtinendam beatitudinem. Hæc conclusio est de fide, ut colligitur aperte ex Trident., sess. 21, cap. et can. 4, et ex August., epist. 23, circa finem, et lib. 4 de Peccatorum meritis, c. 20, et lib. 3, cap. 4, et lib. 4 contra Julianum, et serm. 11 de Verbis Domini; Fulgentio, de Fide ad Petrum, cap. 30; Beda, super 1 ad Corinth. 10, ubi citat August., homil. ad infantes. Qui docent, si parvulus moriatur cum solo baptismo, consequi æternam beatitudinem; et est per se evidens, suppositis his principiis fidei: primum est, baptismum conferre parvulis veram justitiam; secundum, infantes non esse capaces peccati in ea ætate; tertium, gratiam non posse amitti, nisi per mortale peccatum; quartum, quod ex his sequitur, eum, qui semel gratiam obtinet, si usque ad mortem non peccet, consequi gloriam. Ex his enim evidenter fit, si baptizatus infans in ea ætate moriatur absque reali manducatione hujus sacramenti, ut experientia docet sæpe accidere, illum consequi æternam beatitudinem; et consequenter hoc sacramentum, re ipsa susceptum, non esse illi medium necessarium ad salutem. Quæ ratio eandem

efficaciam habet in adulto, qui post baptismum mortaliter non peccat, et absque sua culpa sine hoc sacramento decedit; nam sine ulla dubitatione salvus erit, juxta illud Matth. ultim: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Quinimo constat ex doctrina fidei adultum sine ullo prorsus sacramento re ipsa suscepto, per solam contritionem posse salvari, ut tractando de baptismo et poenitentia latius ostenditur.

5. *Secunda conclusio.* — *Ratio.* — Dico secundo, sacramentum Eucharistiae non esse parvulis medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad finem, neque in re, neque proprie in voto susceptum. Hoc bene docuit Cajetanus infra, quæst. 80, art. 12, et alii auctores infra citandi. Et primo non obscure colligitur ex Trident., sess. 21, cap. et can. 4, dicente: *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit*. Quanquam enim de reali communione loquatur, tamen si Eucharistia esset illis medium necessarium, non esset simpliciter neganda ejus necessitas; imo nec Ecclesia debuisset negare parvulis hoc sacramentum, saltem instante eorum morte, quod tamen facit, et merito, ut quæst. 80 ostendimus. Secundo probatur ratione, quia sacramentum non est medium necessarium ad salutem, nisi sit institutum ad dandum aliquem effectum necessarium ad salutem, cujus per se loquendo debeat esse causa unica, quia si non sit causa per se, non erit magis necessarius usus talis sacramenti, quam alii actus religionis, qui sunt in præcepto. Et si non sit causa unica, non erit necessaria, quia per aliam obtineri poterit talis effectus; sic enim dici non potest Eucharistia medium necessarium ad remissionem venialium peccatorum, quia sunt etiam aliæ causæ, quæ per se possunt hoc præstare. Sed nullus effectus gratiæ necessarius ad salutem fit in parvulo, cujus per se et adæquata causa sit Eucharistia; ergo non est illi medium necessarium. Probatur minor, quia in parvulis solum est prima gratia remittens originale peccatum, et cum hac salvantur, si ante usum rationis decedant. Dices, hanc gratiam conservari in illis usque ad mortem, et hunc esse effectum gratiæ, quem non confert baptismus propria virtute, sed in virtute Eucharistiae, cujus est votum. Unde ad hunc effectum dandum potest dici per se instituta Eucharistia, tanquam unica causa illius. Sed hoc non

satis considerate dictum est; duo enim possunt in gratiæ conservatione intelligi. Primum est physicus influxus Dei, quo gratiam conservat, et hic effectus præcise sumptus non confertur ratione alterius sacramenti, quam illius quo ipsamet prima gratia collata est, tum quia quasi ex natura rei debetur ipsi gratiæ, non solum ex parte Dei, cujus dona sunt sine poenitentia, sed etiam ex parte ipsius gratiæ, quæ conservari potest, quamdiu a contrario non expellitur; destrui enim per solam suspensionem influxus divini non est naturis rerum consentaneum; tum etiam quia gratia data per baptismum, non est de se minus stabilis, quam alia gratia per meritum, vel aliam dispositionem comparata, cum per baptismum perfecte applicetur meritum Christi ad salutem; sed omnis alia gratia, quæ vel olim per circumcisionem, vel per aliam dispositionem dabatur, vel quæ nunc comparatur per meritum, est de se perpetua, et ex vi primæ infusionis semper conservatur, si homo non ponat impedimentum peccati; ergo multo magis idem dicendum est de prima gratia baptismali; hæc ergo conservatio ut sic non est effectus alterius sacramenti. Et idem dicendum est sine ullo dubio de augmento gratiæ, quod per alia sacramenta confertur. Qui vero dicunt, omnes effectus sacramentorum esse ab hoc sacramento, ut ab universali fonte, respondere poterunt, gratiam baptismalem per votum huius sacramenti conservari, sicut a principio data est. Tamen hæc responsio tam falsa est, quam est improbabile fundamentum illud, quo nititur, de universali causalitate, ut ostensum est. Alterum, quod in gratiæ conservatione potest intelligi, est speciale auxilium gratiæ, quo remonentur peccata, quæ possent gratiam corrumpere, et hic quidem specialis effectus est, et magnum gratiæ donum, sed infantes neque illo indigent, neque pro illo statu sunt capaces illius; et ideo propter conservationem gratiæ in hoc sensu explicatam non potest parvulis esse necessaria Eucharistia; ergo nullo modo est necessaria.

6. *Evasio.* — *Impugnatio.* — At vero dicet aliquis, gratiam parvulorum considerari posse, vel tantum ut primam et remissivam originalis peccati, et ut sic esse effectum solius baptismi; vel ut gratiam finalem, et ut sic, esse effectum Eucharistiæ in voto contentæ in ipso baptismo. Sed hæc fuga eodem fere modo exploditur, nam gratia finalis supra gratiam ipsam solum addit conservationem gra-

tiam usque ad finem vitæ. Dices: hoc ipsum, scilicet mori in gratia, est donum Dei ex æterna sua prædestinatione proveniens, distinctum sine dubio a conservatione gratiæ ut sic; posset enim conservari gratia toto illo tempore, quamvis in eo non finiretur vita infantis. Ergo mori eo tempore speciale donum est, juxta illud Sap. 4: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum ejus.* Et hoc donum non est effectus baptismi; nam baptismus eodem effectus habet in omnibus parvulis. Erit ergo effectus sacramenti Eucharistiæ. Respondetur, verum quidem esse, posse hunc effectum revocari ad donum perseverantiæ, ex speciali Dei electione proveniens; verum etiam esse, hanc non esse effectum baptismi, ut ratio facta concludit. Dico tamen, eadem ratione evidentius concludi hunc non esse effectum Eucharistiæ, quia non datur omnibus parvulis; nam si parvuli per baptismum recipiunt Eucharistiam in voto, et per hoc votum recipiunt aliquem effectum gratiæ, qui Eucharistiæ specialiter tribuendus sit, omnes æquales et eodem effectus recipient, quia omnes sunt æque dispositi, et habent æquale votum et sacramentum; ergo æqualem effectum; constat enim ex communi et certa doctrina, sacramentum habere æqualem effectum in subjecto æque disposito, præsertim loquendo de effectu gratiæ necessario ad salutem, qualis est mori in gratia. Quod argumentum concludit saltem de illis parvulis, qui, si non decedant in infantia, extra gratiam sint morituri. Sunt, qui dicant posse hunc effectum esse sacramentalem, et tamen non omnibus dari, etiam si æque dispositi sint, et non magis ponant impedimentum hi quam illi; sed quam sit hoc falsum, et principii fidei repugnans, ostendam sequenti assertione. Et confirmatur, nam præterquam quod gratis et sine fundamento tribuitur hic effectus Eucharistiæ, respectu parvulorum involvit quandam repugnantiam. Quomodo enim intelligi potest, ut ex voto alicujus sacramenti detur aliquis effectus directe pugnans cum reali susceptione talis sacramenti? Ut si quis diceret per matrimonium in voto dari auxilium ad servandam virginitatem, vel profitendam religionem; tale enim est dicere per Eucharistiam in voto dari alicui ut moriatur, antequam sit capax suscipiendi Eucharistiam; loquor enim de parvulo baptizato, qui moritur antequam naturaliter possit comedere.

7. *Tertia ratio.* — Tertio argumentor ex metaphora cibi. Quis enim dicat cibum esse

necessarium illi, qui nec nutrirî potest, nec augeri, nec minui, nec contrariam aliquam actionem pati? talis enim est parvulus in eo statu quoad spiritualem vitam, quia in ea nec nutrirî potest, nec augeri, neque ab ullo contrario aliquid pati; aut quis etiam dicat cibum seu desiderium cibi esse alicui necessarium, antequam tali cibo indigeat, vel illius sit capax? perinde enim est dicere dari parvulis, qui moriuntur in sola gratia baptismali, ratione Eucharistiæ, ut moriantur antequam manducatione Eucharistiæ indigeant, vel etiam antequam illius capaces existant.

8. *Tertia conclusio.* — Dico ergo tertio, Eucharistiam in re aut voto proprio non esse medium necessarium adultis ad perseverandum in gratia, et consequendam gloriam. Hanc conclusionem necessario docent illi Theologi, qui negant esse impositum divinum præceptum de sumenda Eucharistia. Nam ablata necessitate præcepti in præsentî materia, necessitatem etiam mediî tolli necesse est. Sed hæc sententia falsa est, ut latius quæst. 80 dicam; supposita ergo necessitate præcepti, docuit hanc sententiam expresse D. Thom., quæst. 65, art. 4, ubi inquit, tantum tria sacramenta esse simpliciter necessaria necessitate finis: duo quidem singulis personis, scilicet baptismum absolute, et poenitentiam ex suppositione peccati mortalis post baptismum; tertium vero respectu corporis Ecclesiæ. De reliquis autem omnibus negat esse necessaria necessitate finis. Dicunt aliqui D. Thom. de reali sumptione sacramenti loquutum esse; sed non recte; nam hoc modo etiam baptismus et poenitentia non sunt necessaria simpliciter. Aliter dicitur D. Thom. loqui de necessitate ad obtinendam primam gratiam; sed hoc etiam est contra mentem ejus; nam generatim loquitur de necessitate sacramentorum. Unde de aliis dicit esse necessaria ad melius et convenientius consequendum finem; cum tamen ad primam gratiam obtinendam, neque isto modo possint dici necessaria, si proprie loquamur. Idem docet 4, dist. 9, q. 1, art. 1, q. 2; Durand. ibi., quæst. 2; Palud., quæst. 1, n. 6; Cajet. hic, qui hoc sensu exponit D. Thom.; Soto, dist. 8, art. 3, clarius dist. 12, quæst. 1, art. 11; Ledes., quæst. 14, art. 3; Hosius, lib. 3 contra Brentium, aliquantulum a principio.

9. *Quomodo valeat aliquando auctoritas negativa.* — Et probatur primo auctoritate negativa Conciliorum et Patrum; quæ argu-

mentandi ratio, licet alias infirma esse videatur, tamen in doctrina tradenda de rebus multis, in qua de singulis docentur, quæ illis conveniunt, et aliquid affirmatur de quibusdam, quod tacetur de aliis, satis probabile argumentum sumitur, quia illud silentium est implicita quædam negatio, et particularis affirmatio, et quasi exceptio, quæ firmare solet regulam, ut quod uni singulariter conceditur, aliis negari intelligatur. Patres ergo et Concilia, licet de præsentî questione nihil in terminis asserere videantur, ubicumque tamen de necessitate sacramentorum disserunt, baptismum et poenitentiam dicunt esse necessaria, non tamen Eucharistiam. Quod præsertim notari potest in Concil. Trident.; disputans enim, sess. 7, de baptismo, can. 5, definit esse necessarium ad salutem, et eodem modo loquitur de poenitentia, sess. 14, can. 6; in sess. vero 13, agens de sacramento Eucharistiæ, nullam necessitatem illi tribuit, præter necessitatem præcepti, quam can. 9 explicat. Huc facit etiam quod Melchiodorus P., epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 2, et habetur in cap. Spiritus Sanctus de Cons., d. 5, inquit, *statim morituris regenerationis beneficia sufficere ad salutem, quia regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos*; ubi ponderandum est verbum *illud per se*; ex illo enim colligi potest, nullum effectum conferri in voto alterius sacramenti, qui ad salutem necessarius sit.

10. *Secunda ratio.* — Unde argumentor secundo ratione, quia Eucharistia non est per se et unica causa alicujus effectus gratiæ necessarii simpliciter, ut adultus consequatur salutem; ergo non est illi medium necessarium ad salutem; consequentia patet ex dictis in præcedenti conclusione; antecedens vero probatur, nam, ut ex dictis ibidem constat, si aliquis esset talis effectus, maxime esset perseverantiæ donum, et auxilium, quo a peccatis mortalibus præservamur, quod maxime necessarium est adulto, post primam gratiam obtentam, ad consequendam gloriam. Et hunc effectum videtur tribuere huic sacramento Concil. Trident., sess. 13, cap. 2; sed vel hic effectus necessarius non est, vel prout est necessarius, ad illum non est necessaria Eucharistia. Quod ita declaro. Et in primis, necessarium non est, ad consequendam gloriam, tale perseverantiæ donum, quod datur homini, ne unquam peccet mortaliter post baptismum, vel poenitentiam semel susceptam, quia potest sæpius cadere et resurgere,

ac tandem salvari. Solum ergo est ad vitam æternam necessarium, ut homo perveniat ad finem vitæ in aliqua gratia; atque adeo ut aliquam primam gratiam, in hac vita receptam, usque ad exitum ex hac vita retineat et conservet; quod si sit per longum tempus, necessarium est singulare donum gratiæ excitantis, et adjuvantis, ut homo ita perseveret; si ergo tempus sit breve, includens tamen terminum vitæ, sufficit tale genus auxilii, quod datur homini, ut convertatur et moriatur in gratia, ut ex materiis de gratia, et de prædestinatione suppono. Quando ergo dicitur perseverantiam esse effectum hujus sacramenti, duo possunt intelligi. Primum est abundantius auxilium excitans et adjuvans quo prævenitur homo, et a Deo protegatur, ne cadat. Et hic sensus est verus; nam hoc auxilium datur per hoc sacramentum; tamen ratione illius non potest dici medium necessarium. Primo, quia per hoc sacramentum non datur, ut illud auxilium ita elargiatur, ut infallibiliter habeat effectum, quod statim probabo; et hoc esset potissime necessarium ad salutem; et, hoc secluso, illud auxilium non est simpliciter necessarium, quia si homo in gratia moriatur, id satis est ad salutem; potest autem in gratia mori sine iis auxiliis, cadendo et resurgendo, ac tandem in fine vitæ brevi tempore gratiam conservando. Secundo, quia hoc sacramentum non est simpliciter necessarium ad hunc effectum; nam licet Concil. Trident. dicat per hoc sacramentum dari auxilium, quo a mortalibus peccatis præservemur, non tamen dicit hunc effectum dari per solam Eucharistiam, neque id potest alia auctoritate, vel probabili ratione ostendi, nam simul et eodem tenore verborum dixit ibi Concilium, *hoc sacramentum esse antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis*, id est, venialibus, et tamen non inde fit, per solum hoc sacramentum venialia remitti. Est etiam aliud exemplum; nam per confirmationem datur auxilium gratiæ ad confitendam fidem, et resistendum contrariis; et tamen non propterea est medium necessarium ad hunc effectum; nam qui non est confirmatus, si, quod in se est, faciat, obtinebit auxilium sufficiens ad talem actum, non in voto confirmationis, quod potest fortasse non habere (maxime si verum est, illud sacramentum non cadere sub divino præcepto) sed per orationem, vel aliam bonam dispositionem suam; ergo similiter, licet illud auxilium detur per Eucharistiam, poterit sine illa per alia media obtineri.

11. *Evasio. — Refutatur.* — Dicent fortasse, posse quidem hæc auxilia obtineri per alia opera, et merita operantis, sed non sine voto Eucharistiæ. Sed hoc facile potest refutari eisdem fere rationibus, quibus hactenus usi sumus. Prima, quia nulla auctoritate fundatur hic modus conferendi hunc effectum. Secunda, quia hæc merita habent locum etiam eo tempore, quo jam nulla est necessitas, nec voluntas suscipiendi amplius Eucharistiam, et tunc jam non possunt dici includere votum Eucharistiæ, nec vero habere effectum, ratione præcedentis communionis, quia jam illa habuit suum integrum effectum, ut supponitur. Tertia, quia effectus sacramentorum proprie habent locum in iis donis, quæ gratis dantur, saltem sine merito de justitia, et quæ non sunt omnino debita, veluti ex natura rei; et ideo in prima justificatione peccatoris, habuit optime locum collatio gratiæ in voto sacramenti. At vero hæc auxilia possunt obtineri per propria merita de condigno et de justitia, et sunt debita ex intrinseca natura gratiæ, et justitiæ ob charitatem operantis. Et ideo non oportuit, nec decuit ad hunc effectum requirere votum sacramenti. Quarta, quia alias omne gratiæ augmentum, quod per merita consequimur, ac denique omnia gratiæ beneficia, quæ in hac vita hominibus conferuntur, possent eadem facilitate tribui voto hujus sacramenti; quod satis est per se absurdum.

12. *Evasio altera. — Impugnatio.* — Alio modo potest explicari hic effectus, de illo speciali auxilio seu providentiâ gratiæ, per quam datur homini, ut pro aliquo tempore vitæ perseveret in gratia, vitando omnia peccata mortalia usque ad mortem. Et hic sensus esset necessarius ad salvandam necessitatem medii in Eucharistia; est tamen falsus. Primo, quia si hic esset effectus per se hujus sacramenti, esset infallibilis, saltem in eo qui digne vel cum certa aliqua dispositione susciperet hoc sacramentum; hoc autem est plane falsum; nullus enim, quacumque devotione aut dispositione Eucharistiam suscipiat, potest ideo esse certus de sua æterna salute, seu de perseverantia in gratia usque ad finem vitæ, etiamsi esset certus de sua dispositione; neque ullus unquam Catholicus Doctor talem effectum tribuit huic sacramento; neque habet aliquod fundamentum in Conciliis, vel Scripturis; nam licet Joan. 6, dicatur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, semper in his promissionibus subintelligitur conditio, scilicet, quod est ex parte sacramenti, et si homo im-

pedimentum non ponat, vel alia via amittat vitam, quam sacramentum confert. Alioquin si promissio esset absoluta, quicumque semel susciperet hoc sacramentum, haberet infallibilem consecutionem vitæ æternæ, quod tamen dicere plane est hæreticum. Neque oportet distinguere inter ordinarium usum hujus sacramenti, ac illum specialem usum, quod in fine vitæ per modum viatici sumitur, quia facta ratio æque de omnibus procedit, præsertim quia ipsum sacramentum de se non habet plures effectus in illo articulo, si suscipientis dispositio æqualis sit. Ac denique plus esset, quam temerarium et erroneum, dicere, eum qui in gravi morbo viaticum digne suscipit, hoc ipso manere confirmatum in gratia, aut cum tali perseverantiâ dono, ut infallibile sit, illum fore salvandum.

13. *Evasio. — Impugnatio.* — Responderi potest, hunc effectum non esse infallibilem, etiamsi sacramentum dignissime suscipiatur, quia semper potest homo postea ponere impedimentum, quia in iis effectibus, qui non statim dantur, cum suscipitur sacramentum, sed postea opportuno tempore, fieri potest, ut digne suscipiatur sacramentum, et postea non detur effectus propter superveniens impedimentum. Sed licet hoc in aliis effectibus possit habere locum, non tamen in hoc, de quo agimus, quia in ratione intrinseca hujus effectus includitur, ut per ipsum tollatur omne impedimentum; nam hoc est esse infallibile perseverantiæ donum, ita præveniri hominem, ut infallibile sit, ipsum non adhibiturum impedimentum, quominus certissime perseveret; ergo hoc ipso, quod homo permittitur ponere impedimentum, non datur illi hic effectus. Confirmatur hoc et declaratur, quia dupliciter possumus intelligere effectum sacramenti esse infallibilem, seu promissum. Primo, absolute et sine conditione aliqua, et hoc modo secundum fidem nullus effectus gratiæ sanctificantis est promissus sacramentis, neque hic, de quo agimus, est promissus omnibus digne suscipientibus, ut ostensum est. Secundo, sub conditione aliqua, quæ dupliciter intelligi potest. Primo, Si digne susceperis; et hæc non sufficit in presenti, ut a me probatum est, et in prædicta responsione supponitur. Secundo, Si post dignam susceptionem obex seu impedimentum non ponatur, seu si homo, quod in se est, fecerit, ad illud donum consequendum. Et hanc conditionem repugnat requiri ad illud donum obtinendum, quia tale est, ut ad illud nulla humana dispo-

sitio sufficiat, quæ ab ipsa actuali perseverantia distinguatur, eamque antecedit. Et quod in ipsa actuali perseverantia non impediatur, non est quid prævium, aut requisitum ad hoc donum, sed est effectus ipsius doni; tale enim est, ut eo tempore ac opportunitate detur, quo scit Deus hominem non impediturum, sed vocationi responsurum. Repugnat ergo cum propria ac singulari ratione talis doni, quod quibusdam detur ratione sacramenti, aliis vero in ipsa susceptione sacramenti æque dispositis negetur, quia impedimentum ponunt; non enim ponerent, si Deus illo dono eos præveniret; et alii ponerent, nisi eos præveniret. Unde valde diversum est loqui, aut de actuali perseverantia, aut de speciali illo dono, quod ad perseverandum datur; nam de actuali perseverantia verissime dicitur, non dari homini, quia homo ponit impedimentum; nam in hoc non est sermo de auxilio antecedente, sed de concomitante, et actualiter efficaci; at vero de illo dono antecedente, dato ex proposito et efficaci electione Dei, cui datur, ex electione datur; et cui non datur, ex electione seu libero arbitrio Dei negatur, non ex aliquo impedimento speciali.

14. *Alia evasio. — Refellitur.* — Dicet fortasse aliquis, hunc esse effectum hujus sacramenti, non quia infallibiliter detur omnibus digne vel cum certa aliqua dispositione suscipientibus hoc sacramentum, sed quia, licet ex altitudine divini consilii et arbitrii quibusdam detur et non aliis, quibus tamen datur, propter hoc sacramentum datur. Sed hæc responsio apertam involvit repugnantiam, et destruit propriam rationem effectus sacramentalis; fundatur enim hujusmodi effectus in divina promissione, qua posita, non intelligitur effectus sacramenti pendere ex solo arbitrio divino, sed potius intelligendum est sacramentum tanquam causa per se efficax et naturaliter agens, in subjecto disposito. Repugnat ergo, sacramentalem effectum non esse infallibilem, ablato obice; aut dari uni, et non alteri, habenti æqualem dispositionem. Unde Conc. Trid., sess. 7, can. 7, sic absolute definit: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta, semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, etc.*, ubi, licet in genere de sacramentis et de gratia loquatur, re tamen vera sermo Concilii est doctrinalis et universalis; unde de omni sacramento, et de quacumque gratia sacramentali unicuique sacramento respondente,